

CAPUT X.

Modus, quô partis facultas læditur ab
intemperie calidâ, expla-
natur.

IN febre ardente partium naturalis actio earumque facultas læditur primò. Læsæ nempè sunt partes similes, earumq; naturalis constitutio ab intemperie tum *manifestâ* calidâ, tum *occultâ* malignâ qualitate præditâ.

CAUSÆ intemperiei CALIDÆ ad quinque reductæ classes à *Galeno 1. de different. febrium cap. 2.* hîc etiam habent locum.

I. Κίνησις, MOTUS est, tum corporis, tum animi. CORPORIS motu calor excitari potest. Cùm temperamentum caliditate pollet, exercitia subit varia, inflammabilitatem humores concipiunt. ANIMI COMMOTIONES fervorem inducunt sanguini. IRA sanguinem circa cor fervere facit & ad talia incendia corpus disponit.

II. Η σήψις, PUTREDO. Hâc sine nullum fit causi incendium. Nullâ factâ putredine, nec massa disgregari, nec humores fermentari, nec calor per corpus distribui potest.

III. Ομιλία τῶν θερμότερων, VICINIA CALIDORUM externorum, quæ calidorum morborum procreationem promovere solet, dum calidis & contiguis corporibus calor externus communicatur, ab æstivalibus scilicet radiis, quos prius per sentit pars contigua, quam dein adsumit vicina, & ita consequenter donec insitum calorem arripiat, celeriterque corpus calore adimpleat & adficiat. MODUM hunc confirmat *divinus*

Senex 4. de vitæ ratione in acutis e. 3. οὐότων, inquit, ἀναζητηθέντα τὰ φλεβία δερμεία καὶ θερμὰ ρεύματα ἐπισπάσονται πρὸς ἑαυτὰ. Causus fit, cum venula arefacta biliosos & tenues humores attrahunt.

Eundem modum adstruit *Galenus 4. apb. 58. comm.* quô ostendit, causam ardentis febris esse bilem, eâque expurgatâ illam sanari, inque venas attractâ, excitari, cum inquit: καύσον γὰρ οἶδα-